

/ Illustriss<sup>me</sup> ac R<sup>me</sup> Dñe

Quas humanissimas ad me dedit 6 Decembris, hac ipsa hora mihi redditae sunt. In refutando eleemosynario regis Angliae, lubens meam opellam praestabo. Nec erat opus id petere a me, sed mandare. 5 Ero memor modestiae: et curabo, ut hic non peccem. Caetera, adhibito labore, suggeret is, qui novit omnia. De mutuis precibus, gratissimum mihi est. Et tametsi frigide orare solitus sim, tamen pro Illust<sup>a</sup> et R<sup>ma</sup> P.V. conabor, ut potero. Quaeso, dignetur et mei memor esse, et a Sanctiss<sup>o</sup> P.N. Papa largam benedictionem impetrare.

10 Libellum ex Belgio nondum accepi. Ubi advenerit, maturabo refutationem. Iam duo libelli contra Anglos expediti a me sunt. Tertium habeo sub manibus. Quotidianae lectiones nonnihil impediunt labores meos. Illust<sup>mam</sup> et R<sup>mam</sup> P.V. opto diu valere et pro orare. Ignoscat festinanti calamo, quia tabellarius Spiram properat. Bre- 15 vi plura. Moguntiae 30 Decemb. a. 1611.

Illust<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> P.V.

Servus in Christo

Martinus Becanus.

-----  
Illust<sup>mo</sup> ac R<sup>mo</sup> Dño D. Roberto S.R.E. tit. S. Mariae in Via  
20 Presbytero Cardinali Bellarmino Dño suo Colendissimo (cachet S.J)  
Romam.